

Denis (Dionisio) Faucher (1487-1562)

Denis Faucher was born near Arles, France, but entered the order of Benedictines in Italy at the Abbey of San Benedetto in Polirone near Mantua, in 1508, the year after Giovanni Battista Folengo professed there. Faucher embarked on a career of monastic reform, residing most often at an abbey on the island of Lérins, off the Southern coast of France. Faucher wrote many poems and eclogues and letters in Latin: three pieces directly involve Giovanni Battista Folengo.

Faucher's *Varium poema* have come down to us in a compilation work, *Chronologia sanctorum et aliorum virorum illustriorum*, edited by Vincent Barrali (Vincenzo Barrali Salerno), Lyons, Rigaud, 1613. Google Play Books:

<https://play.google.com/store/books/details?id=PolLAAAcAAJ&rdid=book-PolLAAAcAAJ&rdot=1>

His verses collected here span nearly a hundred dense pages: pp. 373-466 (pdf 792-885). Faucher's carmina and eclogues are very smoothly written; his vocabulary and phrasing are strongly reminiscent of the language used by both Teofilo and Giovanni Battista Folengo. A great many of Faucher's poems focus on Christ, another large group take to task various transgressors, especially wayward women, and the rest involve a variety of topics too numerous to address here.

The works of Dionysius (Denis) Faucher provide fertile ground for comparison with those of the Folengo brothers since they seem to draw from the same pool of images and phrasing but with a very different purpose. For example, Faucher's poems about orchards appear devoid of the coded meanings found in Teofilo Folengo's *Varium poema*, poems 10, 39, 59 and others, which feature the garden as a locus of sexual activity; see Faucher, *De laudibus horti*, (*Varium poema*, op.cit. pp. 379-80, pdf 798-9). And yet Faucher does not ignore the issue of Priapus, rather, he addresses it head on, saying that Priapus is a shameful monster: *Huius nolo sit hortuli Priapus/ Custos immerito deus vocatus,/ Monstrum turpe nimis nimisque foedum/ et quo foedius est nihil pudici/ Quod spectent oculi...*, *Hortulus*, p. 428, pdf 847. The frequent appearance of erotically languishing souls in the writings of Teofilo and Giovanni Battista Folengo are supplanted by sincerely languishing souls in the texts by Faucher: *Animae divino amore languentis deprecatio*, pp. 416-7, pdf 835-6. A thorough comparison of the language used by these three writers could be instructive.

Below find Faucher's pieces which directly involve Giovanni Battista Folengo. At the end of the third, the *Egloga cui tumulus, Religio ad Ioan. Baptistam Folingium*, Faucher predicts Folengo will regret having scorned Christ, but he also acknowledges having wasted his time by reproaching his fellow Benedictine, whom he has named "Iucundus."

1. De lapsu ordinis monastici ad Ioan. Bapt. Folingium, Deploratio.

{p. 431} (pdf 850)

Quis fontem capiti meo perennes

Fundenti lachrymas dabit, nitentem

Olim, ut flere queam ordinis decorem
Nostri iam penitus statumque sensim
Deflexo veteri rigore lapsum?
Indulgentia mollior parentum.
Atque absentia, segniorque cura
Ignavos solita est et insolentes,
Duros, difficiles, graues, protervos,
Natos reddere, ubi viam per amplam
Equorum similes proterviendo
Laxis aut laceris eunt habenis.
Heu quo nunc vetus exulat silentis.
Disciplinam procul fugata claustris?
Complures licet, heu, videre, qui nunc
Amplis nominibus superbientes
Dum tonso capite exterisque, signis

Summam religionis obtinere.
Se credunt, titulos gerunt inanes
Quot si quis monitu pio ac salubri
Errantes revocet, viamque patrum
Antiquam iubeat tenere, duri
Obsistunt, Rhodanus, Padusque fontes
In suos potius queant reduci,
Horum quam valeat proterva cervix
Reflecti, ut veterem viam capessant.
Quinimo grauiusque acerbiusque est,
Amaro gemituque prosequendum,

Quod multos videas pudore frontis
 Perfricto domini et sua salutis
 Et voti immemores, sacroque tandem
 Commutato habitu procos repente.
 Factos, usque adeo mala invalescunt.

2. *Egloga de lapsu Monastici ordinis, Ad Ioan. Baptistam Folingium.*

Candidus and Simplicius

{p. 453, pdf 872}

Candidus.

Bruma riget, summis et pendet stiria tectis,
 Et niveis candent dudum herbida prata pruinis.
 Hinc glacialis hyems Borea reflante per agros
 Ire vetat, quare rutilos contexere ad ignes
 Verba iuvat, varioque animum sermone levare,
 Dum pecus in stabulis praemansas ruminat herbas.

Simplicimus.

Non mihi de lana lites texite caprina
 Rixando, aut vanis pretiosa hac tempora verbis
 Expendisse placet. Propriis defendere sensus
 Dum obfirmato animo contendimus, inde moventur
 Lites, fructu vacuum irreuocabile tempus
 Praeterit, et modica de re consurgere magna
 Iurgia saepe, solent puerorum imitantia morem
 Foemineumve, leui nam causa mota querelas

Suscitat ingentes mulier, credas fore magnum
Quid, si rem nescis, sed nos potiora sequuti
Tractemus nostris quas sunt accommoda rebus.

Candidus.

Utilis et mihi grata tua est sententia, quare
Tractemus nostris quae possunt usibus esse
Commoda, quaeque ouibus valeant afferre salutem.
Sic olim legimus sanctos fecisse patres, et
Illorum quosdam sacris dum casta loquelis
Corda fouent escam oblitos sumpsisse paratam
Corporis immemores animi dum pabula sumant.
Hi Aegypti deserta gregum implevere sacrorum, et
Pascendorum ouium leges statuere periti
Artis, et intenti pecudes seruare luporum
Morsibus immunes tandem meruere beati
Istius erepti mortis de corpore parvis
Commutare casis immensa palatia coeli.
His non marmoreis habitatio structa columnis
Exstitit, ut nostra hac aetas male sana requirit.
His humiles habitare casas, seu rupe cavatas
Speluncas placuit, nec eis fuit ampla suppellex
Rerum aut prouentus, totam in coelestia curam
Transtulerant, sola his semper coelestia curae.
Talis Honoratus quondam, Benedictus, Amandus,
Maximus, Hilarion, Antonius, Aegidiusque,
Basilus magnus, sed quid numerare laborem,

Quos numerus prohibet? pascendi qui arte periti
 Delegere locos a vulgi turbine longe
 Semotos montes, alii aut redolentia myrto:
 Littora, vel densas imis in vallibus umbras.
 Hic tacitas habuere domos, sanctique tenaces
 Propositi, vigiles morsu incursuque ferarum
 Innocuos servare greges, et amoena solebant

{p. 454, pdf 873}

Ducere per prata, aut montes, ripasque virentes,
 Pro captu cuiusque sua et dare pabula gnari.
 Non scabies immunda, gravis sive altera pestis
 Invadebat oves, queis sollicitudo magistri
 Tam pia, tam solers, vigilans studiumque medendi
 Prospexisse solet, doctaeque silentibus antris
 Pabula mansa prius, rursum revocata per ora
 Voluere, et impuras suetae vitare lacunae
 Sumebant vitreo puros de fonte liquores.

Simplicimus.

Vera canis, mi Candide, sed mihi tanta malorum
 Colluvies dic unde in nos exundat, ut hinc et
 Inde male crescentibus, heu deleta gemanus [sic]
 Illa vetustatis vestigia sancta, nec ullus
 Relligionis amor tepefacta, heu, corda remordet.

Candidus.

Nescio ni forsani nimium curamus inanes.
Divitias et opes, opera ruralia, et amplas
Aedes dum struimus et Pontificalia tecta
Tecta opere immenso parietibus et fulta columnis
Corda sacerdotum urgemus, ut illa
Usibus apta suis cupiant habitare, sed et nunc
Militibus iam sunt effecta habitacula dudum.
Heu pietas, ubi nunc secreta silentia? ubi nunc
Sunt casti gemitus, lachrymaeque precesque potentes
A gregibus cunctos olim depellere morbos?
Scilicet est mirum varia si peste laborat
Nunc pecus, atque lupi irrumpunt in ovilia, pastor
Cum desit, vigili cura assiduoque labore
Qui insistat, nec enim nitida qui veste videri
Conspicui cupiunt, vilem gestare cucullum
Pallia nec villosa volunt, quibus ferre molestos
Praeualeant imbres, ventos, et frigora, et aestus
Sed domibus regum mollem traducere vitam
Assueti duos metuunt fugiuntque labores,
Et sat habent si lac de tonsaque vellera tollant.
Hinc pecus huc illucque vagum pastore remisso
Aut absente lupis ultro obviat, Inde malorum
Tanta et colluvies, morbi et genus omne fatigat
Usque greges, languens caput a tellure levare
Iam nequeunt pecudes, tanta est violentia morbi.
Sed gravius quod amant tantumque nocentia carpunt
Gramina et exhorrent curam studiumque medentis.

Nulla tenent prisca vestigia certa salutis.
 Prolixis tantum balatibus omnia complent,
 Tundentes aures gravia et fastidia gignunt.
 Talibus est igitur facile ut medicina paretur,
 Commoda quae renuunt certa et medicamina, tantum
 Quaerentes quae sunt propriae nocitura saluti?

Simplicimus.

Non opus est ergo ut frustra nitamur inanem
 Ludentes operam, ratis est confracta salubre
 {p. 455, pdf 874}
 Consilium fuerit, sibi quisque ut consulat, immo
 A Christo imploremus opem pastore benigno,
 Ut nostras conservet oves, morsusque ferarum
 Hinc procul avertat, pestes cunctasque repellat
 A gregibus clades, et nos antiqua sequentes
 Sanctorum documenta patrum sacra pabula sanis
 Atque haustos ovibus nitido de fonte liquores
 Rite propinemus. Sed iam nos tempus et hora
 Tarda monet tandem verbis imponere finem.

3. *Egloga cui tumulus, Religio ad Ioan. Baptistam Folingium,*
 Fortunatus et Iucundus. Monach.

{p. 455, pdf 874}

Fortunatus.

Unde rogo Iucunde venis? ad ovilia tandem

Quis te traxit amor, quorum te oblivio dudum
Cooperat? hinc inter spinosa rubeta relictæ
Velleribus laceris pecudes sine lege vagantes
Sponte venenatas detondent dentibus herbas,
Sponte lupos adeunt, et sponte salubria linquunt
Pascua, et immundas inquirunt sponte lacunas.
Innumeri pecudes morbi, innumeraeque malorum
Invadunt species, quis enim discrimina cuncta
Dinumeret, quæ ovibus sunt impendentia, quanquam
Pastor adest vigilans? ergo hoc absente quot illas
Perpeti acerba putes, cum sit natura magis nunc
Ad mala proclivis ultroque assueta ruinis?
Quare te Iucunde graves perferre labores
Nocte dieque decet. Pluvias timuisse, vel astus,
Ventos, aut tonitrus, reliquas aut aeris iras
Officium non est veri pastoris, inertis
Sed servi, siue eius qui mercedis amore
Pascit oves domini tantum sua commoda pendens.
Hinc beni si reputes, ratio reddenda, gravisque
Poena luenda tibi est, pereat si forti vel una
Culpæ quam Iucunde tua periisse liquebis.
Otia tanta tibi nunc fortunatae supersunt,
Ut missis propriis aliena negotia cures?
An ego si cogar rationem rationem reddere, pro me
Te ipse vadem facies? quare tua sint tibi cura,
Mitte aliena, pecus nostrum nihil attinet ad te.
Quisque suum portabit onus, quid tempus inane

Anxius amittis, et frustra te ipse fatigas?
 Conscio tam longis mihi taedia longa querelis
 Attulit, haec documenta olim inculcare decebat
 Patribus antiquis, quibus aetas aurea fulsit,
 Et quibus in casto succensus corde flagrabat
 Christi amor et pietas validaeque in corpore vires
 His inerant, nobiscum nunc agitur bene, si illos.
 A longe aspicimus, non uos imitemur inanem
 Eludendo operam puerorum more volantes
 Qui vano studio venantur in aere muscas,
 {p. 456, pdf 875}
 Sive leves stulto conamine pappiliones.

Iucundus.

Nos igitur monuit Paulus debere volantes
 Venari muscas, quando ut sua facta sequamur
 Admonet, atque Dei ut simus dignissima proles
 Toto hortatur cum studio ut sectemur, et inde
 Omnia gesta hominum scriptis mandat a piorum
 Esse quis ignorat, nempe ut documenta relictas
 Posteritati essent vivendi et norma salubris.

Fortunatus.

Sed quis adest nostro hoc qui tempore signa patrare
 Possit, ut ad vitam norit revocare sepultos,
 Et lumen coecis, auditum reddere surdis,
 Insuper insomnes totas traducere noctes

Pervigil in precibus, sola et coelestia gustans
Protrahere ad quartam possit ieiunia lucem?
Non imitanda igitur, mage sed miranda videntur.

Iucundus.

Non tibi Christus ait miracula ut edere discas,
Sed vigil observes, quia nescis tempus et horam
Iudicii aut mortis, veniens ne forte sopore
Te incaute pressum inveniatur dum torpidus aevum
Transigis, et longas consuesti stertere noctes.
Et docet elatas humilis demittere Cristas,
Solliciteque monet pecudum curare salutem,
Quodque monet, factis monstrat prior esse sequendum.
Nascitur in stabulo coeli terraeque creator
Pauper, inops, patiens, intensi algoris et aestus,
Pro gregibus tandem tormenta necemque cruentam
Pertulit, ut per iter strictum nos scandere coelum
Edoceat, dum tu iucundam ducere vitam et
Otia lentus amas genio indulgere suetus.
Et quasi cogaris ieiunia ducere quartam
Usque diem, aut totas sine somno dicere noctes,
Non sectanda tibi reputas vestigia patrum.
Has ab amore venit proprio prudentia carnis,
Quae est inimica Deo, antiqui semperque repugnans
Legibus, inde novas his spretis condere gaudet,
Angustiamque viam relinquens spatiosa requirit.
Hinc veteris ritus vix ulla insignia profert.

Fortunatus.

Tu veteris ritus sequere, et ne perge molestus
 Esse mihi, dudum sanctorum tempora dixi
 Praeteriisse tibi. Paupertas si tibi cordi est,
 Sordidus, abiectus, dura assuetusque labori
 Hanc sequere, et sit tanta tibi penuria rerum,
 Ut cogaris egens ad rastros atque ligones
 Converti, et victus tibi sit sudore parandus.
 At mihi longe alia est sententia, et ampla supellex
 Resque relictæ meo qua non sit parta labore
 Complacuit semper, nec enim tractare ligones
 Aut rastros soleo. Quid fortunate laccessis
 Me toties? frustra noli me obtundere verbis.

{p. 457, pdf 876}

Non ego sum sanctus, fateor, satis est mihi, si non
 Cum veniet Christus sua præmia reddere cunctis,
 Haedis me societ statuens in parte sinistra.
 Nec bene de superis illi sentire videntur,
 Qui esse Deum immitem credunt iraeque tenacem,
 Promptior ut non sit nostris ignoscere culpæ,
 Quam non pro factis cupiat damnare merentes.
 Ergo abeant quibus est de nobis tam anxia cura,
 Ut stimulent scrupis tam pectora nostra minutis.
 Vix spirare licet nobis, momenta molestis
 Singula persequeris, iam iam sermonis et usum
 Aufers, et tetrica nocturna silentia fronte

Observans mussare vetas, iamque hiscere nemo
Audet, et nostro tanta est querimonia mores,
Ut neque quae in nostros usus Deus ipse creavit,
Manducare, vel illa etiam contingere fas sit.
Nec iucunda licent, tanquam si morte sepulti
Iam simus, satagensque novos inducere mores,
Cogis inauditam in coelis terraque remotam
E terra natos homines traducere vitam.
Non nova sunt Iucunde tibi quae dicimus, olim
Tradita sunt, primi nos haec docuere parentes,
Curandique gregis certam pastoribus artem
Liquerunt, et solliciti statuere salubres
Leges, sed nos degeneres male sana sequendo
Nunc studia, heu, quantum patribus distamus ab illis.
Stulta igitur res est, sese lassare sequendo
tam procul absentes, quos prendere spes, tibi nulla est.
Ast ego contra isthaec Flaccum dixisse recordor.
Est quodam prodire tenus, si non datur ultra.
Sed mihi si attente patientem porrigis aurem,
Nec mea te (ut dicis) hortantia verba laccessunt,
Haec referam, tibi qua poterunt afferre salubre
Consilium, unde rogo morbis scabieque laborant
Tam multa pecudes, spretis et ovilibus ultro
In discrimen eunt cupidae faucesque luporum?
Fastidire etiam videas sua pabula et amnes,
Atque aliena sequi et si sunt inimica saluti.
Iampridem requiesse solent, praemansaque rursum

Mandere, nunc capreis similes hoedisque petulcis
 Stare loco nequeunt, his tanta licentia crevit.
 Segnities pastoris id, o Iucunde remissi
 Efficit, hinc tanta illuvies effusa malorum
 Exceptis paucis corripit ovilia passim.

Iucundus.

Fortunate, nimis qui emungit, saepe cruorum
 Elicit, et nimium restrictus labitur anguis.
 sed curare greges Iacob Patriarcha beatus
 Me docuit metuens nimio ne forte labore
 Afflictum una dies cunctum prosternat ovile.

{p. 458, pdf 877}

Segnitiem improperas mihi, si discretio virtus
 Praecipua in votis semper fuit, hac sine nulla
 esse potest virtus, semper satis esse putavi
 Aeris si sontium sequerer, tanto fervore quid ultra
 est opus? an reliquis prudentior esse putabor.
 Si tetrica me fronte velim ostentare severum?
 Iucundus dicor, quare et Iucundus haberi
 Percupio, valeant ergo gravitate [sic] Catones
 Qui referunt, alius mihi mos, alia et mihi mens est.
 Semper et haec mihi visa fuit prudentia summa,
 Plurima quod sequitur pars, hoc statuiste sequendum.

Fort.

Nunc ita sunt mores, vitium ut sub imagine falsa

Incluta quo possit virtus utcumque, videri,

Iuc.

Virtutis titulos et inania nomina sumit.

Tu ne malum reputas pecudes si pabula mutant,

Cum placeant etiam diversa cibaria nobis?

Fort.

Non mirum est igitur, si abs te didicere magistro.

Iuc.

Ne magnum est si aliquam lupus obripuisse videtur.

Fort.

Sed ne hoc accideret, te prospexisse decebat.

Iuc.

Tam foelix quis erit iuventus cultor agrorum,

Aeris adversa qui non aliquando labore

tempestate, cui et pro votis omnia cedant?

Fort.

Obfirmata tibi frons est? Iucunde, sed istud

Mente tene, veniet veniet suprema dies, quae

Te invitum coget suspiria moesta profundo

Ducere corde, utinam tibi non contingat inanes

Fundere tunc gemitus, dum mortis venerit hora,

Heu quantum velles abs te excussisse teporem,

Heu quantum velles lachrymas fudisse salubres,

Et Christi meminisse necem, et tormenta sequacem

teque fuisse crucis, quam tunc sprevisse pigebit.

Sed quid ego saxum volvens male tempora sumo?

Iam finem facio, ne te mea verba fatigent.

Amplius, hora etiam iam iam monet esse silendum.